

Iosephum in Aegypto, multis aliis opu- A iuxta promissionem: Non vos defi-
lentissimis egentibus & laborantibus tuam, &c.

SECUNDA PARS CAPITIS

Fames Aegypti.

- 13 Panis vero non erat in vniuersa terra, quoniam fames erat grauis valde, & defecit terra Misraim, & terra Canaan præ fame.
- 14 Collegit itaque Ioseph omne argentum, quod inuentum est in terra Aegypti, & in terra Canaan pro frumento, quod emebant: & intulit Ioseph argentum illud in domum Pharaonis.
- 15 Cumque consumpta esset pecunia è terra Misraim, & è terra Canaan, venerunt omnes AEgyptij ad Ioseph dicentes: Da nobis panem, & quare moriemur coram te: quoniam defecit pecunia.
- 16 Et dixit Ioseph; date pecora vestra, & dabo vobis pro pecoribus vestris, si defecit pecunia.
- 17 Adduxerunt ergo pecora sua ad Ioseph: & dedit eis Ioseph panem pro equis, & pro pecoribus, & pro ouibus, & pro boibus, & pro asinis: & sustentauit eos pane pro omnibus pecoribus eorum anno illo.
- 18 Absoluto autem illo anno iterum venerunt ad eum anno secundo, & dixerunt ad eum: non abscidemus à Domino meo, quod consumtum est argentum, & pecora iumentorum sunt apud Dominum meum, non remansit coram Domino meo, præterquam corpus nostrum & terra nostra.
- 19 Quare moriemur in oculis & nos & terra nostra: eme nos & terram nostram pro pane: & erimus nostra ac nostra terra serui Pharaonis, da semen, ut viuamus & non moriamur, & terra non desoletur.
- 20 Emisit ergo Ioseph vniuersam terram AEgypti Pharaoni, vendiderunt enim AEgyptij quisque agrum suum: quoniam inualuerat super eos fames: factaque est terra Pharaoni.
- 21 Populum vero transire fecit per vrbes ab vna extremitate termini AEgypti usque ad alteram extremitatem eius.
- 22 Tantummodo terram Sacerdotum non emit: quoniam portio Sacerdotibus erat à Pharaone: & comedebant portionem suam, quam dabat eis Pharaon: propterea non vendiderunt terram eorum.
- 23 Et dixit Ioseph ad populum: Ecce emi vos hodie, & terram vestram Pharaoni: En vobis semen, seminate ergo illam.
- 24 Et erit è frugibus dabitis quintam partem Pharaoni: quatuor autem partes erunt vobis pro semiente agri, & pro cibo vestro, & iis, qui sunt in domibus vestris, & ut comedant parvuli vestri.
- 25 Tum dixerunt: viuiscasti nos: inueniamus gratiam in oculis Domini mei: & erimus serui Pharaonis.
- 26 Posuit ergo Ioseph illud in statutum usque in diem hunc, super terram AEgypti ipsi Pharaoni ad quintam partem: Duntaxat terra Sacerdotum solummodo non facta est Pharaoni.

EXPLA-